

alia associatio concipi potest, nisi subiectivae cuiusdam formae cum alia subiectiva, ex quo nequit emergere nisi aliquid et ipsum subiectivum, quod propterea famosum *pontem* expostulabit quo ad corpus externum fiat transitus. Non tertium denique. Nam experimur utique nos in sentiendo passivos esse, ac propterea causa extra nos posita opus esse a qua pendent istae affectiones: ceterum utrum haec causa sit una vel multiplex, univoca vel aequivoca, corpus vel spiritus, haec aliaque his gemina problemata remanebunt usque insoluta, si praedictae affectiones sint mere subiectivae, praesertim si ex mente huius philosophiae tota haec causalitas ad purum quemdam localem motum reducat, et sensatio in sola anima colloctetur (1).

Obicies. Sensatio est actus immanens. Ergo minime concipi potest quasi vinculum intercedens inter subiectum sentiens et corpus extraneum, praesertim dissitum.

Respondeo. *Conc. antec. Dist. conseq.* Si hoc vinculum materialit quadam ratione quis imaginetur, quasi linea quadam inter duo puncta, *conc.*; si contra sano modo id intelligatur, prout intelligi debet, *neg.*

Etsi actus sentiendi in sua entitate spectatus sit perfectio cognoscentis, *vitati* tamen *repraesentatione* constat: alienius obiecti igitur repraesentatio est, quod in sensibi-

(1) Ce qui a conduit Berkeley et beaucoup d'autres esprits à l'idéalisme, c'est de se figurer que les données des sens se réduisent à une série de modifications de l'âme, modifications toutes spirituelles, toutes subjectives: erreur grave, qui vient elle-même de cette erreur capitale de la philosophie Cartésienne, qui consiste à se représenter le moi comme un pur esprit, vivant d'une vie tout interne, enfermé en soi dans une solitude profonde, sans le lien naturel avec le corps et avec la nature. Descartes a transporté cette erreur à Leibnitz, qui soutenait que les monades n'ont point de fenêtres; et de Leibnitz elle est passée dans la nouvelle philosophie allemande. On a posé un moi abstrait, un sujet pur, un être isolé, et puis on s'est consumé en raisonnements subtils pour retrouver le monde réel, qu'on avait supprimé, et pour y replacer le moi au milieu de tous les êtres de la nature: efforts superflus, jeux de l'abstraction. Sarsser (*Dict. des sciences phil.*, V. Sens.).

litate sunt affectiones tum proprii tum etiam aliorum corporum. Apposite Suarez. \* Terminatio cognitionis ad obiectum non est materialiter intelligenda eo modo, quo intelligitur terminatio lineae ad punctum: sed sumenda est intentionali seu spirituali modo. Cognitionem ergo terminari ad rem nihil est aliud quam rem cognosci. » (*De Anima*, lib. 3. c. 5. n. 17.)

Instabis. Quid vetat, quominus recurrendo ad divinam veracitatem sensationes, etsi pure subiectivae, connectantur cum obiectis extra non positis?

Respondeo. Iste recursus, in sententia quam refutavimus, est plane illegitimus. Nam unum e praecipuis argumentis quibus naturali rationis lumine constat, Deum esse, ducitur ex ordine mundano, qui certe ex relatione sensuum constat; nequit igitur, sine manifesto circulo vitioso, ipsa Dei existentia eiusque veracitas praesumi tanquam postulatum necessarium, ut de hoc ordine certiores efficiamur. Confer quae in Logica diximus [418, 419]. Praeterea, si sensationes naturaliter non repraesentant, nisi quid mere subiectivum, earumdem naturale testimonium non posset legitime adduci nisi in favorem facti eiusdem pure subiectivi, ut patet ex terminis. Error proinde qui ab idealistis tribuitur iudicio de existentia corporum prolato, minime posset per se tribui sensibus, nec propterea eorumdem Auctori. Quod vero invincibilem persuasionem omnes habeamus de corporum existentia, eorumdemque proprietatibus quas sensus referunt, id probat quidem, dari naturalem nexum eumque evidentem inter relationem sensuum, et corpora eorumque proprietates; sed hoc ipsum manifestae falsitatis coarguit opinionem cartesianam, quae si vera esset, praedictum nexum plane dirumperet, atque adeo naturalis illa et communis persuasio de corporibus vel non existeret, vel ad caeca iudicia reidianae scholae amandari deberet (1).

(1) In hac re oportet in mente revocare quod in Logica docuimus, actu scilicet sentiendi proprietates corporales minime referri,



THESIS XXIII.

*Ad perceptionem sensilem gignendam corporum exteriorum, species intentionales merito postulantur: hae porro differunt ab impressione pure materiali quae excitatur in organo, nec sunt terminus seu obiectum, sed principium formale intrinsecum actus sentiendi.*

173. *Declaratio I. partis.* — Quoniam pars prior assertae propositionis magna ex parte ipsa rei declaratione manifestatur, haec quae sequuntur diligenter et ordinate observa.

I. Ratio propria cognitionis cuiuscumque habetur secundum quod cognitum quasi trahitur et sistitur intra ipsum subiectum cognoscens. Et hoc declarant verba *percipiendi, apprehendendi*, aliaque his gemina, quibus communi hominum sensu innotescit, quid omnes concipiamus cum *cognitionis* nomen proferimus. Haec autem existentia seu modus essendi qui obiectis tribuitur, prout cognitione de novo quasi gignuntur, alterius ordinis est omnino a modo essendi *naturali* rerum, quem nempe habent prout in sua propria natura considerantur: nec nisi desipiens confunderet esse lapidis ex. gr. cum cognitione lapidis. Dicitur proinde *esse intentionale* vel *esse vitale*, quia scilicet secundum quod obiectum per cognitionem sistitur in cognoscente, istius activitas in obiectum intenditur, atque

quasi in abstracto, sed in concrectione quam habent cum corporea substantia. Sic, non videmus colorem, sed coloratum. Distinguere etiam oportet, ut ibidem declaravimus, obiectum *per se* sensibile a sensibili *per accidens*: et in priori sensibilia *communia* a *propriis*. [Pr. Ph. 254, 266].

illud quodammodo intra semetipsum vivificat; quod profecto facilius intelligitur mente quam verbis explicetur, siquidem est experientiae factum aequae immediatum ac ipsum cognoscere.

II. Triplex est modus quo obiectum descriptum esse intentionale intra cognoscens sortiri potest. Primo, si in eo sit secundum suam substantiam seu essentiam. Secundo, si in eo existat eminenter, ut effectus in sua causa efficiente. Tertio denique, secundum aliquam similitudinem accidentaliter superadditam quae vices quasi gerat ipsius obiecti in ordine ad cognitionem. Haec vocatur *species intentionalis*: *species* quidem, quia ea mediante obiectum redditur spectabile cognoscenti; *intentionalis* vero propterea quia id praestat secundum modum essendi intentionalem paulo ante descriptum.

III. Cum actus sentiendi, quo exteriora corpora percipimus, sit actus cognoscitivus, vere et proprie, necesse est, ut corpora percepta eorumque affectiones sensiles secundum aliquem e tribus modis recensitis sistantur intra subiectum sentiens, prout est sentiens. Patet autem priorem et alterum modum esse impossibilem in re praesenti. Sentiendi quippe, prout huiusmodi, haec obiecta sunt exteriora; nec praeterea, nisi absurde, diceretur eminenter per modum causae efficientis continere proprias affectiones obiectorum quae sentiuntur. *Species igitur intentionales* ad huiusmodi perceptionem gignendam merito postulantur.

174. *Probatum II. pars.* — Facile colligitur ex praecedentibus. Etenim

I. Memoratae species postulantur, ut diximus, in ipso sentiente, prout est sentiens. Debent proinde actuare ipsam facultatem sensitivam, puta visum, auditum, etc., quae sensationem elicit. Atqui impressio pure materialis, puta calor, motus localis, vel aliquid aliud huiusmodi, est actus potentiae alterius ordinis, immo nec vitalis. Ergo memoratae species aliae sunt a praedicta impressione pure materiali. Hinc tales impressiones dantur etiam in cadavere, quin propterea aliqua species intentionalis in eo existat.



II. Dicimus praeterea, has species minime asserendas esse, quasi ipsae sint terminus seu obiectum quod actu sentiendi representetur. Hoc enim si admittatur, incidendum foret in absurdam hypothesein in praecedenti conclusione reprobata de corporum perceptione mediata. Rationem hanc dat S. Thomas. \* Cum enim sit duplex actio, sicut dicitur 9. Metaph. tex. 16., una quae manet in agente, ut videre et intelligere, et altera quae transit in rem exteriorem, ut calefacere et secare; utraque fit secundum aliquam formam. Et sicut forma secundum quam provenit actio tendens in rem exteriorem, est similitudo obiecti actionis, ut calor calefacientis est similitudo calefacti; similiter forma secundum quam provenit actio manens in agente, est similitudo obiecti. Unde similitudo visibilis est secundum quam visus videt. » (*Summa th.* 1. p. q. 85. a. 2.) Argumentum S. Doctoris huc redit. Sic se habet species sensibilis ad actionem videndi, quemadmodum se habet forma specificans actionem transeuntem, puta calor calefacientis ad actionem calefactivam. Atqui haec non est terminus actionis sed principium. Ergo species sensibilis non est terminus actionis videndi sed principium.

III. Hinc vero sequitur quod ultimo loco asseruimus, speciem nempe sensilem esse principium formale intrinsecum actus sentiendi. Ad cuius rei intellectum considerandum est, actum cognoscendi seu *cognoscere*, ut sic, non aliud significare nisi illud esse intentionale quod res cognita acquirit, cum cognitione transfertur intra subiectum cognoscens, in coque sistitur et quasi vivificatur. Hoc autem diversificatur secundum diversa genera, pro diversitate scilicet potentialiarum cognoscitivarum: et sic aliud est *intelligere*, aliud *videre*, *audire*, et sic porro. Iam age, haec praedicata, utpote generica, specificatione ex aliquo formali principio intrinseco profluente indigent, ut sic in tali vel tali specie intellectionis, visionis, alteriusve cognoscitivi actus constituentur. Atqui id praestat obiectum vel per se ipsum, vel per speciem sui vicariam. Species igitur intentionalis hoc munus sibi vindicat, quod S. Thomas paulo ante expressit illis verbis: *Similitudo visibilis est secundum*

*quam visus videt*. Particula enim illa *secundum quam*, ex modo loquendi S. Doctoris, exprimit principium formale *intrinsecum*, ut patet (Qq. Disp. Ver. q. 3. a. 1.).

175. *Corollarium*. — Ex dictis facile potest intelligi, quatenam sit causa cui debeatur effectio huius speciei, scilicet sunt ipsa corpora quae per speciem percipiuntur. Unumquodque enim de potentia reducit in actum per illud quod est in actu. Forma autem rei sensibilis actu invenitur in corporibus, in potentia autem in sentiente. Hinc obiectum quod sentitur et potentia sentiens mutuo se complent. Ut enim dictum est, in actu sentiendi, visione exempligratia, concipi debet duplex ratio actualitatis; est enim *visio*, et est *assimilata* tali obiecto. Quantum ad priorem actualitatem, obiectum se habet in potentia, et haec potentialitas completur per virtutem operativam facultatis sensitivae, puta visus. Quoad alteram actualitatem, facultas sensitiva se habet in potentia, et haec potentialitas completur per virtutem activam formae sensibilis in obiecto existentis. Hinc actus sentiendi est indivisus quasi partus utriusque iuxta vulgatum illud pronuntiatum: *Ex cognoscente et cognito paritur rei notitia*. Atque haec in praesenti sufficiunt de hac materia: quae ceteroquin plenius declarabuntur ex his quae suo loco dicturi sumus de *Humano intellectu* (1).

(1) Hic sedulo notare oportet, non eodem modo influere obiectum in sensibilitatem cum percipitur ut praesens, puta per visum, et quando percipitur in eius absentia, ex. gr. per imaginationem. In priori casu species dependet ab obiecto in fieri et in conservari: quare cessante influxu obiecti cessat ipsa sensatio. In altero vero pendet quidem in fieri, sed non in conservari, ex opposita ratione.



THESIS XXIV.

*Ex actu sentiendi per se consequitur appetitus elicitus in bonum sensu apprehensum. Hic vero in duplicem partem rite distinguitur, concupiscibilem scilicet et irascibilem.*

176. *Probatur I. pars.* — Ex iis quae in Philosophia Prima disputavimus de *finalitate naturae* [662, 668, seqq.], constat, res omnes naturales a supremo Motore sic inclinari in fines debitos, ut proprio quasi naturae pondere ferantur in bonum sibi conveniens et *quodammodo eadant*: quae inclinatio propterea *naturalis appetitus* merito nuncupatur. Iam vero haec differens sit oportet, pro diversitate formae quae unicuique est principium essendi et operandi. Cognoscentia autem in hoc a non cognoscentibus differunt, quod, praeter formam propriae naturae, formas etiam aliarum rerum sibi quodammodo proprias faciunt, per vitalem scilicet assimilationem in qua ratio cognitionis perficitur. Ergo in cognoscentibus, atque adeo in sentientibus etiam, praeter communem inclinationem in bonum proprium unicuique naturae insitam, necesse est, aliorum quaedam et specialis inclinatio existat, consequens scilicet ipsam cognitionem seu sensationem. Haec porro inclinatio recte dicitur appetitus *elicitus*, ut a priori distinguatur qui *innatus* vocatur: quemadmodum enim iste consistit in ipso naturali ordine cuique rei insito respectu boni sibi convenientis, praevia dumtaxat cognitione primi Motoris, sic ille speciali quodam et proprio actu naturae superaddito exercetur, qui boni apprehensionem consequatur, apprehensionem dico existentem in ipso subiecto sic appetente. Lege S. Thomam (Qq. Disp. Ver. q. 25, a. 1.).

177. *Probatur II. pars.* — Sic se habet appetitus elicitus respectu boni per sensum apprehensi, quemad-

modum appetitus innatus respectu boni naturae consentanei, servato tamen discrimine inter modum operandi utriusque proprium. Atqui unaquaqueque res naturalis innata sua inclinatione ad duo fertur, scilicet, ut ait S. Thomas, *ad consequendum id quod est congruum et amicum naturae, et ad habendam quandam victoriam super illud quod est ei adversum* (loc. cit. a. 2.). Ergo similiter in appetitu sensitivo ista duo inventiuntur. \* Nam animal, ait ibidem S. Doctor, per appetitivam potentiam appetit id quod est congruum et amicum sibi, et hoc per vim *concupiscibilem*, cuius proprium obiectum est delectabile secundum sensum: appetit etiam habere dominium et victoriam super ea quae sunt sibi contraria, et hoc per vim *irascibilem*; unde dicitur quod eius obiectum est aliquid arduum. Patet autem, hos appetitus esse diversae rationis, ac propterea merito invicem distingui, et quasi duplicem partem, potentialem scilicet, considerari virtutis appetitivae. Differunt enim triplici ratione. Etenim primo, motus concupiscibilis se habet per modum receptionis potius quam actionis; contra vero, motus irascibilis: ut apparet in amore et iracundia ad invicem comparate. Secundo, quia actus utriusque contrarietatem quandam exercent ad invicem: sic concupiscentia accensa minuit iram et ira accensa minuit concupiscentiam. Denique, ut eleganter ait S. Thomas: \* Irascibilis est quasi propugnatrix et defensatrix concupiscibilis, dum insurgit contra ea quae impediunt convenientia quae concupiscibilis appetit, et ingerunt noxia quae concupiscibilis refugit. (Summa th. 1. p. q. 81, a. 2.)

178. *Scholium I. — Organum appetitus.* — Cum appetitus sensitivus per se primo conveniat animali, ut consequens apprehensionem sensilem, qua talem, et ipse organica quaedam facultas sit oportet. Existimo autem, esse valde probabilem opinionem quae distinguit inter dolorem corporalem proprie dictum, qualis ex. gr. sentitur ex combustionem, et ceteras affectiones appetitus sentientis, puta tristitiam, iram, amorem, etc.: atque illum dicit exerceri in ipso organo tactus, aliarum vero affectionum propriam sedem esse cor. Ratio prioris partis est ipsa experientia



quae sic rem habere renuntiat. Ratio vera alterius asserti inde ducitur, quod secus non apparet, cuius rei gratia mira illa correspondentia existat et proportio, quam physiologia testatur, inter modificationes cerebri, quod est commune organum sensuum interiorum, ut mox dicemus, et immutationes cordis, puta dilatationis, constrictionis, accelerationis, retardationis: dum contra, si propria sedes horum affectuum ponatur esse cor, cum ipsi cieri debeant ex praecedenti apprehensione sensus interioris, optime explicatur, cur, pro diversitate modificationum existentibus in cerebro, organo sensus interioris, proportionatae existant modificationes in corde, organo proprio talium appetitionum. Huic opinioni videtur suffragari communis hominum sensus: solemus quippe varias hominum morales dispositiones exprimere dicendo ex. gr. cor magnum, leve, angustum, oppressum, mobile, durum, tenerum, ardens, aliaque generis eiusdem.

179. *Schölium. II.* — *De motu progressivo animali.* — Cum animalia perfectiora saepenumero in locis dissitis quaerere debeant quae ad naturae sustentationem aliaque munera vitae animalis pertinent, hinc, praeter appetitum, alia facultate a natura instruuntur quae *vis locomotiva* nuncupatur, cuius proprium organum est systema musculare [71]. Haec est quidem proprium appetitus instrumentum exequens id ad quod animal appetendum inclinatur, differt tamen: ratione quippe valde diversa versantur circa motum localem. Motus enim quem pro obiecto respicit appetitus, est motus *activus*; siquidem animal appetit *movere* membra, puta pedes, manus: e converso, obiectum facultatis motricis est ipse solum motus *passivus* et exercitus membrorum. Praeterea, appetitio terminatur ad obiectum prout in apprehensione elucet, ac saepe minime exercetur motus, tametsi efficaciter appetatur: contra, actus facultatis motivae in ipsam motus physicam realitatem fertur eamque semper coniunctam habet.

## SECTIO VII.

### *De multiplici sensuum distinctione.*

180. *Quinarius numerus exteriorum.* — Fuit vetus opinio ab Aristotele iamdiu refutata (*De sensu et sensili*, c. 4.), qua non alius sensus agnoscebatur nisi *tactus* (1): quod etiam apud recentiores plerosque in honore habitum est. Id profecto legitime consequitur, si semel concedatur, proprietates sensiles aliud nihil esse, nisi resistantiam ac motum, nec sensibus nos percipere nisi impressionem factam in organo. Tunc enim totius sensibilitatis obiectum revocari deberet ad impulsum quemdam motumque localem in nostro corpore receptum. Atqui res huiusmodi unice ad tactum pertinet. Ceterum falsitas huius principii satis ex praecedentibus patet, quae etiam ex tam absurda conclusione quae legitime derivatur, ulterius elucescit. Retinenda est igitur communis persuasio totius humani generis quinque exteriores sensus enumerantis, doctis simul et indoctis notissimos, visum scilicet, auditum, olfactum, gustum, tactum. Vocantur exteriores non quia ipsis tantummodo obiecta extra nos posita percipiamus; id enim convenit etiam sensibus interioribus; ut paulo post dicemus: sed quia organis extra patentibus utuntur. Si quis vero postulet rationem aliquam istius quasi communis humani generis pronuntiati exteriores

(1) Dixit (Philosophus) quod Democritus et plurimi naturalium philosophorum, quicumque intronitum se ad loquendum de sensibilibus, faciunt quoddam *incongruentissimum*, quia omnia scilicet sensibilia dicunt esse tangibilia: quod si esset verum, sequeretur, quod quilibet sensus esset tactus. Quod autem hoc sit falsum, facile est videre: quia alii sensus sentiunt per medium extraneum, non autem tactus. S. THOMAS (*De sensu et sensato*, lect. 11.).



sensus ita distinguuntis, non videtur alia congruentior reddi posse, quam quae petitur ex *diverso modo immutationis plus minusve immaterialis*, quam obiecta propria horum sensuum in organa exercent. Operatio enim eorundem, ut ait S. Thomas cum Aristotele, *accidit in ipso moveri a sensibilibus exterioribus*; ex quo fit ut existere nequeat talis sensatio sine tali motu, quemadmodum non potest aliquid moveri sine movente. In hoc vero differt haec immutatio a ceteris inferioris ordinis, quod contingat secundum esse quoddam aequaliter immateriale. Ergo recte accipitur horum sensuum distinctio ex diverso modo immutationis plus minusve immaterialis quo a propriis suis obiectis moventur. Patet autem, hanc immutationem minimum materialitatis modum habere in visu, maximum in tactu: quoad reliquos vero plus minusve secundum ipsam gradationem qua eos recensuimus. Ita fere S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 78. a. 3.): cuius ratiocinationem quoad substantiam retinimus, quippe nulla melior haecenus ei suffecta invenitur. Quamvis enim concedendum videtur, materiali aliqua immutatione, praeter intentionalem, organi et obiecti in visu etiam opus esse quo exurgat visio, nemo tamen facile negabit, istiusmodi immutationem longe minus crassam et materialiam esse quam respectu sensuum ceterorum.

**181. Mutua habitudo horum sensuum in perfectione cognitionis.** — Ex eodem principio explicari potest maior minorve praestantia qua hi sensus excellunt in perfectione cognitionis. Est itaque observandum, dupliciter hoc considerari posse. Uno modo secundum absolutam excellentiam qua praestant in proprio modo cognoscendi; alio modo, inspecta utilitate qua in homine deserviunt cognitioni intellectivae.

I. Sub prima consideratione principem locum tenet visus, etique immediate succedit auditus: quare amplissime etiam spatiantur in propriis obiectis, et propius ad pulchritudinem artium percipiendam accedunt. Subsequitur odoratus. Superat quippe duos alios ex statu quasi aethereo sui proprii obiecti: cedit tamen visui et auditui;

longe enim plus dependet ab impressione materiali eiusdem, ideoque minorem habet amplitudinem in sua cognitione. Ob similes rationes tactus vincitur a gustu. In his vero omnibus recte observat Suarez (*De Anima*, lib. 3. c. 29. n. 3.), eos, absolute et simpliciter loquendo, perfectiore modo existere in homine, cuius natura sensitiva, utpote coniuncta rationali, perfectior simpliciter est. Dixi, *absolute et simpliciter loquendo*: nihil enim vetat, quominus in nonnullis superetur homo a brutis, *ob corporis scilicet indigentiam*, ut loco cit. ait Suarez, eo quod saepe dispositio necessaria unius membri impedit aliquo modo operationem alterius.

II. Quod si spectetur utilitas horum sensuum in ordine ad cognitionem intellectivam cui subservire debent in homine, dicendum est, eam minimum esse in odoratu et gustu, quippe qui videntur vitae animalis unice deservire. Quoad alios vero, auditus utilissimus est scientiae acquirendae mediante alicuius magisterio: unde merito sensus *disciplinae* nuncupatur. Tactus vero una cum visu utiliores sunt scientiae inveniendae, tum etiam quoad existentiam corporum certo testandam. \* Alii sensus, ait S. Thomas, sunt cognoscitivi eorum quae a corpore sensibili quodammodo effluunt et non in ipso consistunt; sicut sonus est a corpore sensibili ut ab eo fluens et non in eo manens, et similiter fumalis evaporatio, cum qua et ex qua odor diffunditur. Visus autem et tactus percipiunt illa accidentia, quae rebus ipsis immanent, sicut color et calidum et frigidum. » (*1. Metaph.* lect. 1.) Confer Suarez l. c., ubi plura valde utilia in hanc rem invenies.

**182. Obiectum et organum proprium visus.** — Magna pars physiologorum recentiorum quinque sensoria exteriora sensuum in hunc finem a natura destinari docet, ut materialis impressio sensibilis exterioris recipiatur, eaque sive nervorum vibratione, sive ope fluidi alicuius nervosi aut electrici ad encephalum transmittatur: actum vero ipsum sensationis in hoc solo, encephalo scilicet, exerceri. Id ipsum docent Cartesiani omnes, ut qui animam in solo cerebro esse definiunt. Haec tamen opinio relictatur ma-



nifesto testimonio sensus intimi. Nemo enim est qui manifeste non experiatur se sentire in propriis organis singulorum sensuum. Nullo praeterea argumento haec opinio fuletur. Minime quippe negatur, *centrum* totius sensibilitatis in encephalo locum habere, atque adeo necessariam esse, ope nervorum, debitam communicationem cuiusque sensorii cum eo, ut specialia organa sensibilitatis sint in convenienti dispositione ad propriam operationem exercendam. Sed minime licet inferre, omnem sentiendi actum in ipso encephalo exerceri, propterea quia sensatio quaequam aboleatur, si nervi qui a cerebro ad sensoria protenduntur intercidantur aut etiam comprimantur. Retinentes igitur, etiam in re praesenti, commune naturae sensum, haec in particulari observamus (1).

(1) Confer haec in re opus cui titulus: *Della conoscenza sensitiva*, trattato del P. FRANCESCO SALIS. Prato 1881. Propriam quippe structuram cuiusque sensorii accuratissime descriptam, ac plura alia huc spectantia exacte non minus quam eleganter dicta reperies. Non possum tamen adhaerere opinioni docti scriptoris, cum probabilitatem aliquam (nn. 504, 649, ..., 770) conciliare nittur sententiae, quae sensibilia propria sensuum externorum ad resistendum ac motum localem revocare pertentat: etsi expresse fiatetur, nihil ex recentiori physica adduci posse quod rem istiusmodi demonstret. Ut enim ante demonstravi, haec philosophandi ratio ipsam generalem cognitionis rationem corrumpit, quo nihil periculosius in philosophia fieri potest. Audiatur rursus el. L. De San, vir certe in Physicis aequae ac in Metaphysica eximie peritus. \* Ut obiectiva realitas, ait, representationum qualitatum sensibilibus sarta lectaque servetur, omnino tenendum est, qualitates sensibiles *primo ac per se* ordinari ad perficienda corpora in suo esse, et nonnisi secundario, tanquam instrumenta quaedam agentis extrinseci, inservire producendo in corpore, cui insunt, motui locali. Cuius ratio est, quod in nostris representationibus qualitates sensibiles nobis obiciuntur, tanquam formae quibus corpora in suo esse perficiantur. Immo ne id quidem satis est ad plene integreque tenendam obiectivitatem nostrarum representationum sensibilibus: sed ulterius progrediendo dicere oportet, qualitates illas sensibiles quae respondent representationibus sensibilibus omnino diversis, pertinere ad diversas species qualitatum. Tanquam formae enim specificae inter se differentes in nostris representationibus relectu. Quae sane earum specifica diversitas non est pensanda ex motu locali qui ex eis sequitur, sed ex entitativa perfectione quam

Atque, ut a visu exordiamur, eius organum sunt *oculi*. In his duplex est pars. Prima et potissima, in qua proprie exercetur ipsa visio, sunt extremitates nervi optici, quae subtilissimam illam texturam efformant quae vulgo *retina* appellatur. Altera vero est reliquus organi apparatus a sapientia Conditoris aptissime dispositus tum ad organum protegendum, tum ad lucis radios modo ad visionem idoneo recipiendos. Obiectum vero proprium visus sunt *colores*. Horum tres numerantur maxime elementares, *violaceum* scilicet, *viride*, et *rubrum*: ex quorum diversimoda mixtione reliqui enascuntur. Fiunt *actu conspicui* seu visibiles virtute *lucis* seu *luminis*. Est autem *lumen* vera qualitas activa ex alteratione proveniens substantiae aetherae, seu aetheris ubique diffusi, quae alteratio actione solis, alteriusve corporis per se lucidi progignitur. Cum vero activitas quaelibet corporalis, etsi primo et per se alterativa sit seu qualitatis inductiva, secundario tamen seu consequenter motum aliquem localem producat in corpore alterato [148]: hinc proprius quidam motus ex luce consequitur, ad quem pertinent vibrationes illae undulatoriae substantiae aetherae, quas Physici describunt. Lux itaque non est ipsemet motus undulatorius aetheris, sed proxima eiusdem causa efficiens. Ad rem T. Pesch. \* Quae (theoria undulationis) quidem, postquam Thomas Young, Fresnel, alii eventus naturales maiore cum diligentia observarunt, hodie ut vera ac certa a physicis celebratur. Et recte quidem physici, quippe qui in detegendis legibus operam suam collocarint, in motibus illis undulatoriis contemplandis haerent. Verum turpe erit philosopho, qui in perscrutandis rerum causas incumbat, hoc loco nullius rei mentionem habere, nisi motuum localium, quasi aliquid certis et determinatis modis moveri possit, quod horum motuum causas certas non habeat et determinatas. Redeundum igitur est ad sen-

formaliter corporibus impertiuntur. ( *Cosmologia*, n. 263.). Confer quae ante diximus [149, seqq.]; item [Pr. Ph., n. 282. obiec. IV].



tentiam illam, quae lucem non esse corpus, sed accidens sive qualitatem corpoream activam docuit. (Institutiones Philosophiae Naturalis, n. 350, nota) (1).

183. **Organum auditus ac proprium obiectum.** — Ad organum auditus pertinet apparatus auricularis, qui in animalibus perfectioribus artificiosissimam structuram exhibet, non minus admiratione dignam quam ipsa structura oculorum. Triplici parte constat, *auricula* scilicet, *tympano*, et *labyrintho*. Pars illa *caeca labyrinthi* auricularis, quae *cochlea* vocatur, videtur esse propria sedes ipsius actus auditionis: in eam quippe per innumeras fibrillarum extremitates desinit nervus auditivus. Quare haec postrema pars, interior scilicet, est essentialis organum auditus: aliae vero deserviunt auditui protegendo, undisque sonoris apte dirigendis augendisque modo congruo ad actum auditionis excitandum. Unde illud M. Alberti: *Quum undans aer vocalis vel sonativus peruenit ad nervum illum, tunc recipit auditus vocem vel sonum.* (2. *De Anima*, tr. 3. c. 18.) Obiectum auditus est *sonus*, qui est specialis qualitas hoc uno sensu perceptibilis, ex vibratione corporum elastico-rum enata. Observat autem S. Thomas: \* In corpore so-

(1) Ex doctrina S. Thomae (Qq. Disp. Ver. q. 9. a. 1. ad 7; 2. *De Anima*, lect. 14.), et M. Alberti quem citat et sequitur Toletus (2. *De Anima*, q. 18.), *lux* et *lumen* non distinguuntur essentialiter, sed eo solum quod eadem qualitas, ut est in corpore luminoso a quo emanat, vocatur *lux*; ut producta vero ab eodem luminoso in altero corpore diaphano seu perspicuo vocatur *lumen*. Oportet praeterea inter colores *apparentes* seu potius *transcentes*, et *reales* seu permanentes distinguere. Hi vere inhaerent corporibus ponderabilibus, in quibus nobis apparent: illi vero ex sola aetheris *hacili* dissolutione in ipso aethere oriuntur, nec propterea proprii sunt rerum in quibus apparent, sed ab eis dumtaxat reflectuntur: cuiusmodi sunt colores iridis. Scite autem hac in re sic advertit T. Pesch. \* Quoniam aether inter multa alia etiam id ex naturae instituto efficere debet, ut nobis in ordinatis naturae conditionibus nihil appareat, quod non sit, res ita per naturam disposita esse videtur, ut ex fracta aetheris luce eae partes ad oculos referantur quae colorum corporis aequales sint absorptis reliquis. Haec colores rerum, ut visum movere possint, ex multis rationibus aethere luceo indigent. (loc. cit.)

nante non est sonus nisi in potentia: in medio autem, quod movetur ex percussione corporis sonantis, fit sonus in actu. Et propter hoc dicitur, quod sonus in actu est medii et auditus, non autem subiecti sensibilis. (2. *De Anima*, lect. 16.) Maxima existit analogia inter motus ondulatorios luminosos coloresque inde emergentes, (quos ante *apparentes* seu *transcentes* vocavimus), et undas sonoras in corporibus ponderabilibus, aëre praesertim, excitatas: et simili quadam proportione cum amplitudine et longitudine vibrationum luminosorum aetheris, varia soni intensitas, gravitas vel acuitas, ac peculiaris finitus seu modulatio pro diversa vibrationum medii amplitudine, longitudine, et utriusque accessoria modificatione a Physicis explicari solet. In qua porro explicatione nihil reprehensione dignum est, si tamen prae oculis habeatur, sonum *formaliter* non esse hunc ipsum motum vibratorium nec formam aliquam subiectivam qua a sentiente huiuscemodi motus quasi convertiatur. Certum siquidem est, formalem rationem soni, prout auditui obicitur, esse toto coelo diversam a quacumque specie motus: quare si quis esset surdus a nativitate, etsi intellectu clare perciperet motum illum mere localem, prout huiusmodi, in quo ipse sonus consistere dicitur, non propterea ideam propriam soni haberet, quemadmodum nec caecus a nativitate respectu colorum. Ex alia parte ut res omnino indubitata retineri debet, per cognitionem quaecumque obiectum non fieri sed detegi: quod nisi firme retineatur, formis subiectivis kantianis apertissimus pateret aditus. Ergo sonus *formaliter*, etsi cum locali motu coniungitur, est vera qualitas ab eo distincta, quae per actum auditionis non fit, sed sentienti manifestatur.

184. **Odoratus, gustus, tactus.** — In his tribus sensibus elucet longe maior dependentia a materiali obiecti impressione, a qua immediate immutari debent quo sensationis actus possit exurgere. Hoc tamen differt inter tactum, atque odoratum et gustum, quod hi duo posteriores sensus, etsi immediatam postulanti conjunctionem cum obiecto materiali, minime tamen, secus ac tactus,



induere debent qualitates materiales quas in eo percipiunt. Quod vero spectat uniuscuiusque organum et obiectum, pateat haec specialitèr notamus.

I. Ac primo quidem, *nares* ad organum odoratus pertinent. Membrana mucosa cavitatum nasalium, fibrillis plurimis contexta ex cerebro derivatis, praecipua sedes esse videtur sensationis olfactivae. Corpus autem evadit actu odorum ratione minimarum partium gazeiformium quae ex eius superficie immittuntur in praedictam membranam, ac ope, ut videtur, cuiusdam chemicae combinationis determinant sensationem. Infinitae propemodum differentiae odorum ad certas classes minime reducuntur, ac propterea communi sermone non distinguuntur nisi vel pro diversitate corporum unde proveniunt, vel pro iucunda vel iniucunda affectione quam cient in appetitu.

II. Organum gustus constituitur a *lingua* una cum interiore cavitate totius oris, in quas extremae fibrillae terminantur nervi glosso-pharyngiani et lingualis. Eius obiectum sunt *sapores* ex solutione, (media fortasse aliqua combinatione chemica), quarumdam particularum quae vi salivae in ore peragitur. Praecipuae saporum differentiae quinque numerantur, scilicet *dulce, salsum, alcalinum, acidum, et amarum*.

III. Quoniam tactus vitae animali prae ceteris est maxime necessarius, hinc neque illi animali, ut ut imperfecto, deest, et per totum quasi corpus diffunditur. Eius organum proinde per omnes fere animalis partes, si ossa excipias, extenditur, neque inde nisi cum vita discedit. Ob hanc causam S. Thomas hunc sensum appellat *fundamentum omnium aliorum sensuum*. "Manifestum est enim, ait, quod organum tactus diffunditur per totum corpus, et quodlibet instrumentum cuiuscumque sensus est etiam instrumentum tactus, et illud ex quo aliquid dicitur esse sensitivum, est sensus tactus." (2. *De Anima*, lect. 19.) Ex eadem ratione explicat ibidem Angelicus, praestantiorum tactum indicio esse melioris sensibilitatis simpliciter, ac melioris complexionis. Eius porro obiecta mihi non videntur posse coadunari sub una ra-

tionem formali quae a sensu *specifice uno* respiciatur. Sensatio enim *resistentiae*, quae certe ad tactum pertinet, non minus differt a sensatione gustus exempligratia, quam a sensu *temperaturae*, quae tactu etiam percipitur. Quare dicendum existimo cum Aristotele, quem citat S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 78. a. 3. ad 3.), hunc sensum, respectu saltem habito ad duo haec sensilia, *resistentiam* scilicet et *temperaturam*, non esse sensum specie unum, sed genere (1).

185. **Sensus interiores. Sensus communis.** — Praeter sensum recensitos, Scholastici duce Aristotele (3. *De Anima*, c. 1. seqq.), et S. Thoma (*Summa th.* 1. p. q. 78. a. 4.), plures alios sensus in animalibus perfectis distinguebant, quos *interiores* vocabant propterea quia organo utuntur non exterius patenti, quod communiter censetur esse,

(1) Quum Angelicus praedictam opinionem Philosophi retulerit, quin illo modo reproboverit, haec addit. *Posset tamen dici, quod omnes illae contrarietates, (h. e. quae spectant ad qualitates tactiles), singulae conveniunt in uno genere proximo, et omnes in uno genere communi, quod est obiectum tactus secundum rationem communem. Sed illud genus commune est innominatum (loc. cit.).* Ceterum, etsi hoc dicatur, perperam quis propterea statuere, hoc *genus innominatum*, quod est proprium obiectum tactus, esse generalem rationem *motus localis*, ad quam plures revocant, ut cetera sensibilia, sic etiam calorem, sive aetherem seu *radiationem*, sive ponderabilitatem seu *conductum*. Non solum enim talis interpretatio est alienissima a mente S. Doctoris, qui constantissime distinguit sensibilia propria a puro motu locali, qui ad communia pertinet, sed illud praeterea inde conficeretur, non dari scilicet alium sensum a tactu diversum. Si enim ideo calor dicitur spectare ad tactum, quia revocatur tandem ad quandam speciem motus localis, cum id ipsum, ex hoc philosophandi modo, asseratur de sono, colore, ceterisque sensibilibus propriis, quo iure sensatio temperaturae dicitur spectare ad tactum, eodem etiam ad tactum revocari deberent sensationes ceterorum sensuum. Praeterea gratis et falso asseritur, calorem non esse nisi motum localem, etsi verissimum illud est, a tali motu saepissime progigni eiusdemque motus causam existere. Faciunt scilicet contra hunc asserendum motum generales rationes quae ante attulimus et vindicavimus [143. seqq.]. Confer de hac re egregium opusculum cl. G. Rubini (*Calore e movimento*. Bologna 1879).



praecipue saltem, systema cerebro-spinalis. Primo loco inter eos adnumerabatur *sensum communem*. Sic vocatur non communitate *praedicationis*; est enim potentia quaedam particularis in animante: sed tum communitate *obiecti*, cum ad eum pertineat, ut mox dicemus, sensibilia omnia sensuum externorum, tum communitate *influxus*, quia scilicet, ut ait S. Thomas (*l. c. ad 1.*), est *sicut communis radix et principium exteriorum sensuum*. Duplex est ratio cur agnoscat hic sensus. Prima, quia constat, animantia non solum per exteriores sensus sentire obiecta quae in eos imprimunt, verum etiam ipsos actus quibus talia obiecta persentiunt. Sic ex. gr. canis aures arrigit ad melius audiendum. Manifeste praeterea ostendunt, se sentire bonam vel malam affectionem, quae in eorundem corpus ex his operationibus resultat, puta cum vapulant. Atqui haec obiecta alia sunt a propriis rationibus obiectorum sensuum externorum. Altera ratio est, quia certum est, bruta animalia distinguere, concreta quadam ratione, non solum inter obiecta unius eiusdemque sensus, puta inter album et viride, sed etiam inter obiecta ad diversos sensus spectantia: quemadmodum ex. gr. cum obiectum talis coloris vel figurae appetunt, ut sibi sapidum. Atqui ad hoc sensus exteriores non sufficiunt. Ad rem S. Thomas, \* Sensus proprius indicat de sensibili proprio, discernendo ipsum ab aliis quae cadunt sub eodem sensu; sicut discernendo album a nigro vel a viridi. Sed discernere album a dulci non potest neque visus, neque gustus: quia oportet quod qui inter aliqua discernit, utrumque cognoscat. Unde oportet ad sensum communem pertinere discretionis iudicium, ad quem referantur, sicut ad communem terminum, omnes apprehensiones sensuum: a quo etiam percipiuntur actiones sensuum, sicut cum aliquis videt se videre: hoc enim non potest fieri per sensum proprium, qui non cognoscit nisi formam sensibilibus a qua immutatur, in qua immutatione perficitur visio, et ex qua immutatione sequitur alia in sensu communi qui visionem percipit, (*loc. cit. ad 2.*).

Ex hac doctrina duo facile patent. Primo: operationem sensus communis minime antecedere, sed subsequi

operationem sensuum externorum. Secundo: sensui communi directe quidem percipi ac mutuo discerni ipsos actus sensuum externorum, indirecte vero id ipsum ab eodem praestari quoad obiecta eorundem. Quare recte dici potest eius obiectum esse corpus proprium *ut sensitivum*.

186. **Phantasia.** — Ad hanc facultatem pertinet, obiecta sensuum externorum, ac sensus communis etiam, intentionaliter reproducere *in eorundem absentia*. Dicitur etiam *imaginatio*, etsi hoc nomine venit potius ipse actus phantasiae, praesertim cum eo componuntur, ut dici solet, *possibilia*, et finguntur *impossibilia*. Imago rei absentis imaginatione apprehensa dicitur *idolum* seu *phantasma*. Haec porro quae dicimus, minime debent sic intelligi, quasi haec facultas minime operetur cum animal ab exteriori sensibili afficitur. Certum siquidem est uno eodemque tempore in nobis exerceri, tum actum visionis alicuius obiecti, tum actum imaginationis de eodem. Quare haec res debet sic intelligi, quatenus operatio phantasiae per se *minime postulat* praesentiam obiecti imaginati, etsi forte de facto quandoque sit praesens. Dari autem istiusmodi facultatem, non solum in homine, quod est evidentissimum, sed etiam in brutis animalibus, ex eo patet, quod saepenumero obiecta sensibilia absentia quaerere debent: cuius rei gratia motu progressivo a natura sunt donata. Atqui appetitum animale praecedat necesse est apprehensio sensibilibus. Praeterea signa dant manifesta talis apprehensionis. Nam, ut ait Augustinus, \* et per loca nota sine errore iumenta pergunt, et cubilia sua bestiae repetunt, et canes dominorum suorum corpora recognoscunt, et dormientes plerumque immurmurant, et in latralum aliquando erumpunt. » (*Cont. ep. Fundam. c. 17.*)

Hic vero duo notanda. Primo: ad unam eandemque facultatem quam descripsimus, pertinere vim sive formandi phantasmata eaque componendi, sive eorundem species retinendi. Quare haec facultas in triplici statu inveniri potest respectu sui obiecti. Primo quidem omnino in actu, cum scilicet suam operationem actu exercet: secundo omnino in potentia, quemadmodum ex. gr. se habet



caecus a nativitate respectu colorum: tertio denique in statu quasi medio potentiam inter et actum, cum scilicet species a sensibus receptas retinet habitu quin operetur. Secundo: saepe contingere, ut ceteris facultatibus sensitivis impeditis, libera maneat et expedita ad suam operationem haec facultas, utpote soli cerebro insidens, quemadmodum videre licet in somnitis. Confer in hac re quae scite animadvertit cl. I. Van der Aa in opere quod ante laudavimus [165, nota] in Appendice ad lib. 5.

187. **Aestimativa.** — Hic sensus definitur *virtus animalis apprehensiva intentionum sive proprietatum exterioribus sensibus non apprehensarum*. Huiusmodi intentiones, seu rationes, sunt esse conveniens vel nocivum, non quidem secundum meram delectationem vel contristationem sensus exterioris, (quippe ad hoc sufficit sensus communis, ad quem conflunt, ut diximus, sensationes sensuum externorum), sed secundum aliquam aliam utilitatem vel noxamentum, sive in ordine ad ipsum animal, sive in ordine ad aliquid aliud. Talis *aestimatio*, quam recentiores generali ac vago nomine *instinctus* appellant, proxime accedit ad iudicium intellectuale: differt tamen essentialiter, ut proprio loco ex professo declarabitur. Quae porro sit necessitas aestimationem eiusmodi agnoscendi in natura sensitiva, sic perspicue et eleganter demonstrat S. Thomas. \* Considerandum est, ait, quod si animal moveretur solum propter delectabile et contristabile secundum sensum, non esset necessarium ponere in animali nisi apprehensionem formarum quae percipit sensus, in quibus delectatur, aut horret. Sed necessarium est animali, ut quaerat aliqua, vel fugiat, non solum quia sunt convenientia vel non convenientia ad sentiendum, sed etiam propter aliquas alias commoditates et utilitates, sive noxamenta: sicut ovis videns lupum venientem fugit, non propter indecentiam coloris, vel figurae, sed quasi inimicum naturae; et similiter avis colligit paleam, non quia delectet sensum, sed quia est utilis ad nidificandum. Necessarium est ergo animali, quod percipiat huiusmodi intentiones quas non percipit sensus exterior: et huius perceptionis oportet esse aliquod

aliud principium, cum perceptio formarum sensibilibus sit ex imitatione sensibili, non autem perceptio intentionum praedictarum. (Summa th. 1. p. q. 78. a. 4.) Ad hanc facultatem maxime pertinent apprehensiones sensiles quibus proxime excitatur pars irascibilis appetitivae virtutis, quae propterea propius accedit ad rationem, ut notavit idem Angelicus (Qq. Disp. Ver. q. 25. a. 2.).

188. **Memoria sensitiva.** — Ad memoriam, prout eiusmodi, generatim pertinet *recogitatio praeteriti, ut praeteritum*. Quare ad hunc actum minime sufficit, ut species olim acceptae iterum reproducantur vel suscitentur, sed requiritur, ut repraesententur affectiones olim habitae, *ut habitae*, in quo invenitur representatio mensurationis cuiusdam temporis inter priorem alicuius rei apprehensionem et praesens *nunc*. Quare differt haec operatio a simplici imaginatione, vel recogitatione, duplici de causa potissimum. Etenim primo ad actum imaginationis vel etiam intellectualis recogitationis sufficit iterata conversio sive phantasiae sive intellectus ad obiectum, quin id ipsum fiat quoad actum perceptionis olim habitum eiusdem obiecti. Contra, per memoriam facultas convertitur directe ad ipsum actum perceptionis praehabitaе, et indirecte ad obiectum ea perceptum. Praeterea memoriae actus essentialiter dependet ab obiecti existentia reipsa olim exercita; contra accidit in simplici imaginatione vel recogitatione, ut facile considerari potest. Licet porro eiusmodi *memorativa perceptio* maxime pertineat ad intellectum, aliqua tamen ratione in parte etiam sensitiva invenitur. Quare S. Thomas loquens de intentionibus non sensatis, de quibus paulo ante diximus, haec habet. \* Principium memorandi fit in animalibus ex aliqua huiusmodi intentione; puta, quod est nocivum vel conveniens. *Et ipsa ratio praeteriti, quam attendit memoria, inter huiusmodi intentiones computatur.* (loc. cit.). Ratio ad hoc affirmandum duplex est. Nam primo quidem, bruta animalia, ut canes, equi, elephantes, dant signa non indubia, quibus memoriam aliquam ostendunt beneficiorum et iniuriarum acceptarum. Saepe etiam in similibus casibus similes expectant effectus. Praeterea perce-



ptio aliqua concreta praeteriti non excedit ordinem obiecti sensibilis. Nam affectiones sensiles successive in communi sensu et phantasia se excipiunt, et quamdam quasi catenam efformant, in qua sunt partes priores et posteriores. Nihil autem prohibet, quominus pars sensitiva convertatur ad phantasma praeteritae alicuius apprehensionis, prout est pars successione seu catenae praedictae, et sic fiat aestimatio determinatae et concretatae differentiae temporis.

189. **Notanda quoad recensitos sensus interiores.** — Antequam praesentem de sensibilitate tractationem absolvamus, pluribus aliis praetermissis quae commodiorem explicationem habebunt, cum de intellectu ac voluntate disputabimus, haec in recensitos sensus interiores animadvertere iuvat.

I. Quod eorum distinctionem spectat, graves Doctores putant, eos non esse nisi unicum sensum interiorem, qui, pro diversis numeribus quae exercet, diversimode appellatur. Ita Suarez (*De Anima*, lib. 3. c. 30.). Attento tamen singulorum diverso operandi modo, ac proprio cuiusque obiecto, mihi probabilius videtur, memoriam quidem ab aestimativa non differre, contra vero hanc facultatem esse aliam a phantasia eique superiorem, sensum autem communem ab utraque distingui. Ceterum haec quaestio non debet aestimari magni momenti.

II. Species intentionales necessario requiruntur ad actum proprium sensuum interiorum: neque enim obiecta secundum se sunt ipsis unita; nec possunt loco ipsarum substitui ipsi actus et species sensuum exteriorum, quippe qui et diversum organum habent, et non nisi in praesentia proprii obiecti operantur. Causa vero efficiens ad hunc effectum proportionata sunt ipsa obiecta exteriora, quae in totam sensibilitatem operantur secundum propriam ipsius capacitatem.

III. Quomodo vires ordinis vegetativi in animali evehuntur ad altiore gradum, ideo quod fluant ab altiori principio et ad sublimiorem finem ordinentur: sic etiam enumerati omnes sensus, interiores praesertim, quemadmodum etiam appetitus inde consequens, ex coniunctione

quam habent cum ratione in homine, multum admodum nobilitantur, et modum et extensionem sortiuntur in operando longe altiore, servata tamen essentiali semper ratione facultatis organicae et quae inde consequuntur.

## SECTIO VIII.

### *De mensura motus, seu de tempore.*

190. **Quid duratio univ[er]sae ac generatim.** — *Duratio*, in genere considerata, communiter definiri solet: *permansio rei in suo esse*, vel, si in concreto rem explicare mavis, *perseverans rei existentia*. Haec porro *permansio* seu *perseverantia* optime ac facile concipitur per simplicem *non cessationem* ab existentia. Cum enim multa videamus desinere ab existentia, per istiusmodi desitionis negationem recte, quid sit in proprio esse perdurare, explicamus. Quocirca non videtur esse quidpiam ipsi esse reipsa superadditum: secus enim non ut simplex rei permanentia in esse, sed ut quaedam quasi augmentatio concipienda foret. Praeterea, praecisione facta a re qualibet ipsi esse superaddita, per hoc solum quod res ab existendo non cessat, ea durare intelligitur. Atqui cessatio ista, cum sit formalis defectus existentiae, per ipsam existentiam formaliter excluditur. Datur tamen rationis distinctio inter utrumque. Nam concipimus rem existere, quin duret, si scilicet in uno dumtaxat instanti existat, quemadmodum contingit ex. gr. in mutationibus instantaneis. E converso, duratio, etsi nihil rei addit supra existentiam, connotat tamen rem illam *praexistisse*, sive in toto suo esse, si sermo sit de permanentibus, sive secundum partem, ut in successivis. Dicimus praeterea unam eandemque rem plus minusve durare: per hoc enim quod ab existendo non cessat, pluribus paucioribusque partibus alienius realis vel possi-



bilis successionei coëxistit. Confer Suarez (*Metaph.* D. 50, sect. 1, 2.).

191. **Distinctio durationis in aeternitatem, aevum, et tempus. Equid in aeo interna datur successio.** — Cum duratio respiciat ipsum esse rei, secundum diversum modum essendi diversus sit oportet ipse modus durationis. Est autem quoddam esse ab intrinseco et omni modo indeficiens, divinum scilicet: et huius duratio vocatur *aeternitas*, quae propterea mensurat esse quod nec est mutabile, nec mutabilitati adiunctum. Succedit esse participatum substantiarum incorruptibilium, eiusque propria duratio vocatur *aevum*. Haec participat aliquid de permanentia essendi quae est de ratione aeternitatis, differt tamen. Res quippe incorruptibiles minime sunt intrinsece mutabiles secundum esse substantiale: propterea in tali esse non datur prius et posterius, et hoc sensu est totum simul, sicut esse aeternum. Subditur tamen potentia vel actu successioni mutationum accidentalium, puta secundum diversitatem intellectionum, affectionum, et locorum: praeterea in ipso esse substantiali talium rerum, etsi nulla dari potest mutatio et successio intrinseca, absolute non repugnat ut datur successio negativa quae consideratur inter esse et non esse eiusdem rei, quod contingeret si res incorruptibilis in nihilum redigeretur. Recedit proinde duratio aeviternorum a permanentia essendi quae est aeternitas, propterea quia mensurat esse, permanens quidem, cui tamen mutabilitas adiungi potest. Tertia denique est modus essendi proprius rerum corruptibilium, isque longe minus participat de permanentia et uniformitate essendi aeternitatis propria. Duratio qua eiusmodi esse mensuratur, est *tempus*. Ita fere S. Thomas, qui propterea sic concludit. *Sic ergo tempus habet prius et posterius: aevum autem non habet in se prius et posterius, sed ei coniungi possunt: aeternitas autem non habet prius neque posterius, neque eam com- patitur* (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 5.). Ex qua doctrina iam resoluta manet quaestio quam nonnulli agitant, an scilicet duratio aeviterna sit *successiva*. Nempe haec successio dupliciter intelligi potest. Uno modo per meram denomi-

nationem extrinsecam a successione aliqua reali vel possibili cui res aeviterna coëxistere intelligatur: alio modo, quasi sit aliquid intrinsecum ipsi esse rei aeviternae. Priori modo intellecta nullam habet difficultatem, eaque, licet diversimode, ut mox dicemus, etiam in aeternitate considerari potest. Quod si alio modo intelligatur, ea rursus alio et alio modo sic dicitur, *actualiter* scilicet et *virtualiter*. Erit successio interna eaque actualis, si sit aliquid actu fluens secundum plura quorum existentia unius subsequatur non existentiam alterius. Hoc modo res si intelligatur, minime affirmari potest, durationem aeviternam esse successivam. Quemadmodum enim in ipso esse rei incorruptibili, propterea quod est eiusmodi, repugnat prius et posterius, cum sit esse permanens et intrinsecus intransmutabile; sic etiam in ipsa duratione, qua tale esse mensuratur, quaeque, ut ante diximus, ab esse non distinguitur. Apposite rursus Angelicus. \* *Tempus est mensura habens prius et posterius: aevum autem non habens*. Oportet enim rationem mensurae ex mensurato accipere. Esse autem Angeli, quod aeo mensuratur, est indivisible variatione carens, et ideo aevum prius et posterius non habet: sed motus qui tempore mensuratur, successione quadam perficitur, et ideo in tempore invenitur prius et posterius. (2. *Dist.* 2. q. 1. a. 1.) (1). Successio autem virtualis con-

(1) Doctor Seraphicus (2. *Dist.* 2. a. 1. q. 3.), mediam quandam sententiam amplexus, ait, dari quidem in aeo prius et posterius, quod dicit *durationis extensionem*, sed sine ulla *varietate aut innovatione*; contra, in tempore dari utrumque, prius scilicet et posterius cum *invetratione et renovatione*. Ceterum, nisi hoc intelligatur de mera successione virtuali quam in textu asserimus, merito contra talem sententiam urgeri potest argumentatio Angelici sic aientis. \* Haec positio implicat contradictoria. Quod quidem manifeste apparet, si innovatio et veteratio referantur ad ipsam mensuram. Cum enim prius et posterius durationis non possit esse simul, si aevum habet prius et posterius, oportet quod, priori parte aevi recedente, posterior de novo adventat; et sic erit innovatio in ipso aeo, sicut in tempore. Si vero referatur ad mensurata, adhuc sequitur inconveniens. Ex hoc enim res temporalis inveteratur tempore, quod habet



sistit in ipsa permanentia essendi rei, quae tametsi sit incorruptibilis, iugi tamen conservatione indiget ut in esse perduret. Exinde enim efficitur, ut quodcumque instans designetur, in eo absolute possibile sit, rem eiusmodi in nihilum redigi atque ita ab accepto esse desinere: ac propterea, etsi eius esse manet intrinsecus invariatur, coexistentia tamen quae in eo spectatur ad diversa instantia successione alienius externae realiter vel possibilis, est divisibilis atque adeo multiplex, ita ut una quasi pars huius coexistentiae alteri succedat et ab ea separari queat. Haec porro successio datur in duratione aeviterna, et per hoc etiam differt, ut diximus, ab aeternitate, quippe quae essentialiter simulque respondet omnibus temporibus possibilibus eisque actu aequivalet.

192. **Quaestio tractanda.** — Reservata uberiori aeternitatis tractatione ad disputationes de Deo, hic de tempore speciatim est agendum. Omnes vero fatentur huius rei difficultatem. "Quantum ad *an est*, ait Suarez, et cognitione simplici et confusa, nihil facilius cognoscitur quam tempus, et motus, quamvis explicare quid sint, sit difficillimum." (*Metaph.* D. 9. sect. 3. n. 5.) Unde illud Augustini. *Quid est ergo tempus? Si nemo ex me quaerat, scio: si quaerenti explicare velim, nescio.* (11. *Confess.* c. 14.) Rationem huius difficultatis alibi declaravimus cum sancto Thoma [*Pr. Ph.* 256]. Cum enim veritas ontologica rerum sit fundamentum veritatis cognitionis; veritas autem ontologica consequatur esse uniuscuiusque: quae minus de esse participant, secundum se minus sunt cognoscibilia cognitione veraci. Motus autem et tempus, cum sint in continuo quasi fieri, deficientissimum esse habent, et sic, etiam secundum se spectata, sunt parum cognoscibilia.

esse transmutabile, et ex transmutabilitate mensurati est prius et posterius in mensura, ut patet ex 4. *Physic.* Si igitur ipsum aeviternum non sit inrevertibile, nec innovabile, hoc erit, quia esse eius est intransmutabile. Mensura ergo eius non habebit prius et posterius. (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 5.)

adeoque facile hallucinationi ansam praebent. Et huc spectat illud a Seneca egregie dictum: *Fugit tempus et avidissimos sui deserit, nec quod futurum est, nemum est, neque quod fuit: in puncto fugientis temporis pendo.* (Lib. 6. *Quaest. nat.*) Omissa igitur longiori disputatione, quae rem de se obscuram obscuriorem efficeret, duo breviter et exacte praestare conabimur: nimirum notionem temporis rite praeformare, eisque obiectivam veritatem tueri ac vindicare.

#### THESIS XXV.

*Tempus recte definitur ab Aristotele: NUMERUS MOTUS SECUNDUM PRIUS ET POSTERIUS. Proprie vero non dicuntur esse in tempore nisi motus et esse rerum mobilium; ille quidem per se, hoc vero per accidens.*

193. **Declaratio I. partis.** — Recitatur definitionem temporis tradidit Philosophus (4. *Physic.* c. 11.), gr. ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον.

Dicitur I. Numerus, prout scilicet haec vox attribuitur ipsis rebus quae numerationi, actu vel potentia, subiiciuntur [99, I]. Ad rem S. Thomas. "Numerus dicitur dupliciter. Uno modo id quod numeratur actu vel est numerabile: utpote cum dicimus decem homines vel decem equos: qui dicitur numerus numeratus, quia est numerus applicatus rebus numeratis. Alio modo dicitur numerus quo numeramus, id est ipse numerus absolute acceptus, ut duo, tria, quatuor. Tempus autem non est numerus quo numeramus: quia sic sequeretur quod numerus cuiuslibet rei esset tempus. Sed est numerus numeratus, quia ipse numerus prioris et posterioris in motu tempus dicitur, vel etiam ipsa quae sunt prius et posterius numerata. Et ideo licet numerus sit quantitas discreta, tempus tamen est quantitas continua propter rem numeratam: sicut decem mensurae panni quoddam continuum est, quamvis de-



*narius numerus sit quantitas discretæ* „ (4. *Physic.* lect. 17.).

Dicitur 2. *motus*, scilicet stricte et severe accepti ac praecipue qui est secundum locum, siquidem est omnium primus ac notior, et communis ceterorum mensura. Ratio est, quia omnes concipere solemus tempus eiusque partes, ut rem positivam quae aliqua ratione durat. Hanc praeterea durationem in continuo quasi fluxu apprehendimus, sic nimirum ut quidquid eius est, unum post alterum adveniat: quare in ea distinguimus praeteritum et futurum, utriusque indivisibilem semperque fluentem coniunctionem quam *nunc* seu *instans* temporis nominamus. Atqui manifestum est, haec non haberi nisi in motu stricte et severe accepto, qui, cum sit in continuo *feri*, tum durationis, tum successionis modo descriptae conceptum exhibet. Confirmat hoc Aristoteles ex eo quod cum bina extrema, initium scilicet et finem motus una coniungimus, ut accidit in his qui ex profundo somno evigilant, videtur nullum tempus intermedium fluxisse, quia nimirum ad ipsum motum licet existentem non advertitur. Ergo tempus vel ipse motus vel aliqua passio motus sit oportet.

Dicitur 3. *secundum prius et posterius*. Ad huius rei intelligentiam notare oportet, *prius et posterius* dici secundum ordinem maioris vel minoris propinquitatis ad aliquod principium: quae vero sic dicuntur mutuo se excludunt et consequenter se habent. ARISTOTELES (4. *Metaph.* c. 11.). Id in magnitudinae corporali manifestum est, si in ea tanquam principium assumatur aliquod extremum, vel medium ipsius. “ Et hoc ideo est, ait S. Thomas, quia est quantitas positionem habens: de ratione autem positionis est prius et posterius; unde ex ipsa positione locus habet prius et posterius. „ (4. *Physic.* lect. 17.) Ex hoc ordine prioris et posterioris in magnitudine derivatur ordo prioris et posterioris in motu locali, pro eo quantum mobile priores vel posteriores partes magnitudinis motu suo pertransit. Quare S. Thomas, post verba paulo ante citata, subdit, *Et quia in magnitudine est prius et posterius, necesse est quod in motu sit prius et posterius*. Iam age, ipsa numerabilitas partium motus, mutuo se expientium

secundum descriptum ordinem prioris et posterioris in motu, est et dicitur tempus. \* Propter hoc enim, ait rursus Angelicus, est ostensum, quod tempus sequitur motum, quia simul cognoscimus tempus et motum. Secundum illud ergo tempus sequitur motum, quo cognito, in motu cognoscitur tempus. Sed tunc cognoscimus tempus, cum distinguimus determinando prius et posterius; et tunc dicimus fieri tempus, quando accipimus sensum prioris et posterioris in motu. Relinquitur ergo quod tempus sequitur motum secundum prius et posterius „ (*loc. cit.*).

194. *Declaratio II. partis*. — Sicut esse in loco, proprie et severe loquendo, non est tantum exhibere utcumque suam praesentiam loco alicui, sed ab eo mensurari et circumscribi cum dependentia a corpore locante [131]; ita esse in tempore, non solum designat rei simplicem coexistentiam cum aliquo tempore, sed praeterea connotat rem illam eo tempore mensurari et intra eius veluti terminos definiri et coartari. Hac animadversione praehabita, facile intellectus est quod in hac parte asserimus.

I. Ac primo quidem propriissime et per se ipse motus in tempore esse dicitur, tanquam in propria mensura suae durationis. Hic vero observa, id quod primo tempus metitur in motu, esse ipsam eisdem motus durationem seu moram. Consequenter vero dimittitur eiusdem motus sive velocitatem sive uniformitatem.

II. Dein vero proprie dicuntur esse in tempore ipsae res mobiles seu corruptibiles, non quidem ratione sui, sed per accidens, nempe ratione motus cui potentia vel actu subiiciuntur. Id patet, cum actu moventur. Sic enim tempore incipiunt, veterascunt, et tandem desinunt. Quod si quiescant, etiam tunc recte dicuntur tempori subiici, ab eoque mensurari: cum enim tempus sit propria mensura motus, mensurat consequenter etiam quietem, ut quae non est simplex negatio, sed privatio motus: Ad rem S. Thomas. “ Sicut aeternitas est propria mensura ipsius esse permanentis, ita tempus est propria mensura motus: unde secundum quod aliquid esse recedit a permanentia essendi, et subditur transmutationi, secundum hoc recedit



ab aeternitate et subditur tempori. Esse ergo rerum corruptibilem, quia est transmutabile, non mensuratur aeternitate, sed tempore: tempus enim mensurat, non solum quae transmutantur in actu, sed quae sunt transmutabilia: unde non solum mensurat motum, sed etiam quietem, quae est eius quod natum est moveri et non movetur. (Summa th. 1. p. q. 10. a. 4. ad 3.)

III. Ex opposita ratione, res creatae incorruptibiles non possunt proprie dici esse in tempore. Etsi enim non semper sunt et successionem admittunt in propriis actibus, non tamen dependent in sua duratione a duratione temporis, nec patiuntur aliquid quo senescant et propeant ad interitum. Hinc earumdem duratio proprio nomine *aevum* nuncupata est, ut diximus, quod specialem quamdam perseverantiam significat. Multo minus Deus O. M. in tempore dici potest, sed est super omne tempus a qualibet differentia temporis plane independens. Nilominus sicut Deus, etsi non est in loco, vere tamen secundum essentiam suam praesens est locis omnibus et quidem immense seu incircumscripse; ita, etsi nulla ratione a tempore dependet, verissime tamen coexistit omnibus temporibus existentibus, et quidem semper cum infinito excessu, sic nempe ut quantum est ex vi propriae actualitatis nihil ei desit ut temporibus omnibus possibilibus coexistisset vel coexisteret, si ad actum venissent aut ventura forent. Similiter, sicut praesentiam suam exhibet locis, non sicut contentus ab illis, sed sicut continens illa in suo esse; sic etiam coexistit temporibus omnibus, non sicut intra eorumdem durationem conclusus, sed sicut primum et independens principium tempora omnia creans et gubernans. Denique, sicut est praesens spatiis omnibus rebus, et quantum est de se possibilibus etiam, secundum unam eandemque simplicissimam actualitatem sui esse omnem omnino compositionem sive realem sive virtualem respiciens; sic etiam tempora omnia, etiam possibilis, suo quasi ambitu complectitur, sine ulla actuali vel virtuali successione in proprio esse, sed per eandem uniformissimam et indeficientissimam aeternitatem.

195. *Coroll. I. — Distinctio temporis a motu.* — Ex dictis inferitur, tempus a motu reipsa non distingui, quemadmodum nec duratio ab esse rei quae durat, nec numerabilitas a rebus numeratis. Est tamen alius et alius conceptus utriusque obiectivus. Nam motus praecise significat actum illum imperfectum, medium inter puram potentiam et actum perfectum, quem illa sua definitione complectitur Philosophus, *Actus entis in potentia prout in potentia* [Pr. Ph. 624]. Tempus vero significat ipsum ordinem prioris et posterioris inter diversas partes praedicti actus imperfecti. Quare S. Thomas, "Prius et posterius ipsorum, scilicet temporis et motus, quantum ad id quod est, motus est: tamen secundum rationem esse alterum a motu, et non est motus. De ratione enim motus est, quod sit actus existentis in potentia: sed quod in motu sit prius et posterius, hoc contingit motui ex ordine partium magnitudinis. Sic igitur prius et posterius sunt idem subiecto cum motu, sed differunt ratione." (4. *Physic.* lect. 17.) Hinc sicut esse non significat durationem, ita nec eam significat actus imperfectus qui dicitur motus: contra haec significatio est de intellectu temporis.

Dices. Idem motus potest maiori vel minori tempore compleri; e converso, aequali tempore potest fieri maior vel minor motus. Ergo realiter invicem distinguuntur.

Respondeo. *Dist. antec.* Si sermo fuerit de aliquo tempore alterius motui qui ut extrinseca mensura assumatur, *conc.*; si sermo sit de tempore intrinseco ipsi motui qui magis minusve durare dicitur, *subdist.*; potest idem motus esse eiusmodi, si spectatur absolute secundum terminum adquisitionem tantum, *conc.*; potest idem motus esse eiusmodi, si spectetur concrete et prout est in re factus, *neg.*

Solutio est Suarezii, eaque optima (*Metaph.* D. 50. sect. 9. n. 3, 9.). Paritas quam ante declaravimus [168], ducta scilicet ex reali condensatione et rarefactione unius eiusdemque quantitatis, huc multum admodum facit. Certe si consideretur intrinseca mensurabilitas secundum extensionem in corpore rarefacto, non est eadem ac intrinseca



mensurabilitas eiusdem corporis condensati, nec propterea talis mensurabilitas distinguitur ab ipsa quantitate secundum quod talem determinatum modum condensationis vel rarefactionis habet. Quod si sumatur quantitas aliqua extrinseca alterius quantitatis, idem corpus plus minusve eam excedere vel ad eam accedere dicitur: et haec certe distinguitur reipsa a quantitate quam mensurat. Proportionali modo res habet in motu, qui tametsi dicatur idem prout absolute spectatur ut tendentia media inter duos terminos eosdem per eandem viam, non est tamen reipsa idem prout est tardior aut velocior.

196. *Corollarium II. — Partes et differentiae temporis.* — Cum motus sit quid continuum, ita et tempus. Partes itaque temporis accipi debent proportionali ratione ac accipiuntur in quantitate continua, puta in linea. Quemadmodum igitur divisio lineae est punctum, partes in quas dividitur sunt etiam lineae secundum prius et posterius in positione; sic etiam ipsa divisio motus dicitur punctum seu *nunc* temporis, partes vero ex hac divisione resultantes et ipsae sunt tempus, quarum una constituit *praeteritum*, altera *futurum*. Ad rem S. Thomas. "*Nunc* non est pars temporis, sicut neque id per quod distinguitur motus, non est pars motus, scilicet aliqua divisio signata in mobili: sicut etiam nec puncta sunt partes lineae; duae enim lineae sunt partes unius lineae." (*4. Physic.* lect. 18. fin.) Et paulo inferius eandem proportionalitatem sic egregie evolvit ex mente Philosophi. "*Nunc* dividit tempus, in quantum consideratur ut multa in potentia, prout scilicet accipitur seorsum ut principium huius temporis, et seorsum ut finis alterius: et in quantum sic accipitur, accipitur ut alterum et alterum *nunc*. Sed secundum quod accipitur ut copulans tempus et continuans, accipitur ut idem. Et hoc manifestat per simile in lineis mathematicis, in quibus magis est manifestum. Non enim in lineis mathematicis punctum quod signatur in medio, semper intelligitur idem: quia secundum quod dividitur linea, intelligitur aliud punctum quod est ultimum unius lineae, et aliud secundum quod est ultimum alterius: quia

lineae, secundum quod sunt divisae actu, intelliguntur ut contiguae; contigua autem sunt quorum ultima sunt simul. Sed secundum quod punctum continuat partes lineae, sic est unum et idem: quia continua sunt quorum terminus est idem. Et sic est de *nunc* respectu temporis, quia uno modo potest accipi divisio temporis secundum potentiam, alio modo secundum quod terminus communis duorum temporum, uniens et continuans ea. (*loc. cit.* lect. 21.)

Hinc duo ulterius patent. Primo: quod simul existit de toto tempore, est *nunc indivisibile*, quemadmodum quod simul secundum positionem existit de linea, nequit esse nisi *punctum indivisibile*. Secundo: quemadmodum indivisibilia continuantia secundum quantitatem non sunt entitas aut modus positive realiter distinctus ab ipsa entitate quantitatis in qua considerantur [96]; sic in uno tempore indivisibile *nunc*, quod concipitur quasi fluens, partesque diversas eiusdem temporis uniens et continuans, non est quid positive realiter distinctum ab ipso tempore ac motu, ac propterea sicut est unus idemque motus, sic etiam dicitur *idem realiter nunc* in toto tempore ac motu. Sed ut in motu sunt partes et partes sine fine mente designabiles mutuo sibi continuo fluxu succedentes, sic etiam plures et plures sine fine divisiones motus designatione mentis accipi queunt secundum ordinem prioris et posterioris, et sic plura etiam *nunc ratione differentia*. Atque ita intelligo S. Thomam sic aientem. "Dicendum quod *nunc* temporis est idem subiecto in toto tempore, sed differens ratione, eo quod sicut tempus respondet motui, ita *nunc* temporis respondet mobili. Mobile autem est idem subiecto in toto decursu temporis, sed differens ratione, in quantum est hic et ibi; et ista alternatio est motus. Similiter fluxus ipsius *nunc*, secundum quod alternatur ratione, est tempus. Eternitas autem manet eadem et subiecto, et ratione: unde aeternitas non est idem quod *nunc* temporis." (*Summa th.* 1. p. q. 10. a. 4. ad 2.) In his verbis, *mobile* puto esse accipiendum sensu formali, videlicet pro ipsa re *secundum quod actu moeatur* ideoque intra binos terminos motus existere concipitur.